



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 12. De Ioannis Salonii morte.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

*Egregia ejus
humilitas.*

Vaticinia.

*Statua pueri
JESU a se
sua.*

*Undecim
Barbarorum
linguis loqui-
tur.*

CAPUT
XII.
De Joannis
Salonii
morte.
1599.
*Causa mor-
tis.*

*Ejus virtu-
tes.*

*Lorençana
prudens re-
sponsum.*

specie adventantem, suasque de ferocissimâ gente ad Christum convertendâ cogitationes turbantem, eâ voce surgens repressit: *O Demon, hanc meam sedem occupa, nam eâ me dignior es.* quâ submissione, superbiæ patrem ad horrendos ululatus & infamam fugam coëgit. Sæpè præsentissimis periculis à Deo ereptus est. Sæpè futura prænunciare, & occultas mortalium cogitationes propalare, auditus est. Franciscum de Cruce, apud vulgus in Peruviâ tum temporis laudatissimum, contentiosius in publico confessu agentem præmonuit, fore ut, ni loquendi temeritatem corrigeret, publicè pro hæresi, quod deinde factum est, cremaretur. Deo & Deiparæ fuit per familiaris. Pueri JESU memoriam suavissimâ animi teneritudine recolbat: cujus signum sculptoriâ arte formatum, ad lecti caput in ultimâ ægritudine, præter morem cum quâdam die non admoveri curasset, & infirmorum curatorem frustra inlamarer tibi suum ut Jesulum porrigeret: Jesulus per se ipse se stitit, & blandè senem appellans, Ne fatigeris, inquit, nam hic ego tecum sum. Ipso die Nomini JESU sacro, Kalendis Januariis, vitam Apostolicis virtutibus constanter exercitam septuagenarius optimo sine clausit, dignus quem non tantum Peruviz, sed etiam Tucumaniz populi suum Apostolum pleno ore vocent. Barbarorum linguas undecim percullit. Multa vario idiomate scripsit utilia his, qui pro Indorum salute elaborant. Ad eò felici memoriâ fuisse dicitur, ut utrumque testamentum ad unguem memoriter recitaret. Sæpè post mortem Barbaris ab se olim in Paraquaria baptizatis se videndum præbuit, inconstantiam in fide & moribus optimo successu carpens. Indus è curru excussus, invocato Alfonso Barfena, rotam corpus suum sulcantem indemnis excepit. Latius luberet excurrere in facta tanti viri, à Nierembergio & aliis celebrati: sed ne diutiùs extra limites verfer, in Paraquariam stylum retraho, ubi me alterum funus expectat.

A N N us millesimus quingentesimus nonagesimus-nonus, elato Joanne Salonio, Valentiz olim in Hispania nato, & dudum summa Societatis vota professo, luctuosus extitit. Causa mortis fuit exercitium caritatis: nam cum celo pluvio ad ægrum hominem in ultimo agone juvandum non ipse optimè valens properasset, rediens ex madore interiora pervadente lethalem morbum concepit. Moriens Divos & Divorum Reginam spectasse creditus est: cadaver ejus tanto omnium Ordinum ejulatu luctuque sepultum fertur, ut justa defuncto perfolvi nequiverint. Facies mortui longè formosior quàm viventis, & nescio quid humano majus spirare visa est: adeò ut Episcopus Tucumanensis, pro eo solemnè ritu sacrificans, in eam intentus lachrimis obrueretur, & in has voces admirationis plenas prorumpens exclamaret, *Ubi est mors victoria tua?* Tantos Cælestium & Mortalium favores merebantur optimi viri virtutes & facinora, reductis ad Christi partes, aut ipsi reconciliatis multis Indorum millibus, inelyti; eo præsertim nomine in his Annalibus à me commendandi, quòd primus omnium JESU Socios in Paraquariam induxerit, rexeritque. Quibus olim parentibus natus sit, quibus moribus adolescentiam transegerit; utrum in Hispania vel Lusitania Societati authoratus fuerit; utrum post vel ante initam religionem in Brasiliam transfuserit, non perinde mihi planum est. At constat in Brasilia ita se Majoribus probasse, ut dignissimus postmodum habitus sit, qui quatuor Societatis vota profiteretur; & quem Josephus Anchieta, Brasiliae Provincialis, eligeret, ut in Australes Americae regiones nomen & artes Societatis JESU cum selectissimo Sociorum manipulo primus inferret. Sublato Salonio Marcellus Lorençana solus de Societate in Paraquariæ metropoli perstitit, multiplicitate laborum defectum Sociorum compensans. Hunc Provinciae Prætor vexavit, quòd crederet se obliquè carpi, dum in vitia pro concione inveheretur, Sed Lorençana adhibita constantiâ, per certum hominem, qui querelas ad se detulerat, ipsi Prætori renunciare jubet, aliud longè esse in personas nominatim, aliud in vitia invehi. Nam ponamus, inquit, urbium Rectores luxuriæ, rapacitatis & injustitiæ inquinamentis fædatos esse, an propterea desinent Concionatores ea vitia carpere, quæ in aliis civibus sunt, ne magistratus existiment sua vitia sigillatim fugillari? Prætor, ut erat ingenii non pervicacis, rationibus Lorençanæ facile acquievit.